

THE SYNOD
OF
ELVIRA
AD 312

I.

De his, qui post baptismum idolis immolaverunt.

Placuit inter eos:¹ Qui post fidem baptismi salutaris adulta ætate ad templum idoli *idolaturus*² accesserit et fecerit, quod est crimen *capitale*,³ quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere.

¹ MSS. *Eos: nos, N.* ² *Idololatraturus, e conj.*
³ *Capitale: v. l. principale, Codd. Æ. BR. T. 1. 2.*

II.

De sacerdotibus gentium qui post baptismum immolaverunt.

Flamines qui post fidem lavacri et¹ regenerationis sacrificaverunt, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohærente mœchia, placuit eos nec in finem accipere communionem.

¹ *Post baptismum, U. G.*

III.

De eisdem si idolis munus tantum dederunt.

Item flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinerint sacrificiis, placuit in finem eis *præstare*¹ communionem, acta tamen legitima pœnitentia: item ipsi si post pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne *illusisse*² de dominica communionem videantur.

¹ *Præstari, N.*

² *Lusisse, Æ. BR. T. 1. 2. U. G. Illusisse in, or illusisse dominica communioni, N.*

IV.

De eisdem si catechumeni adhuc immolant¹ quando baptizentur.

Item flamines si fuerint catechumeni et se a sacrificiis abstinerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.

¹ *Immolarent, U. G.*

V.

Si domina per zelum ancillam occiderit.

Si qua *femina*¹ furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut *intra*² tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos, si casu post *quinquennii tempora*,³ acta legitima pœnitentia ad communionem placuit admitti; quod si *infra*⁴ tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

¹ *Domina, T. 2.*

² *Infra, U. G.*

³ *Quinquennium, T. 1. 2.*

⁴ *Intra: cf. Tubingen Theolog. Quartalschrift, 1867, p. 55.*

VI.

Si quicumque per maleficium hominem occiderit.

Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idolatria perficere scelus non *potuit*,¹ nec in finem impertiendam esse *illi*² communionem.

¹ *Potuerit, Hefele, vol. i. p. 158.*

² *Ei, U. G.*

VII.

De pœnitentibus mœchiæ si rursus mœchaverint.

Si quis forte fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta acta pœnitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit nec in finem habere eum communionem.

VIII.

De feminis quæ relictis viris suis aliis nubunt.

Item feminæ, quæ nulla præcedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in finem accipiant communionem.

IX.

De feminis quæ adulteros maritos relinquunt et aliis nubunt.

Item femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne

ducat: si duxerit non prius accipiat communionem, nisi quem reliquit de sæculo exierit, nisi forsitan necessitas infirmitatis dare¹ compulerit.

¹ Dari, N.

X.

De relicta catechumeni si alterum duxerit.

Si ea quam catechumenus relinquit duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti: hoc et circa feminas catechumenas erit observandum. Quod si fuerit fidelis quæ ducitur ab eo qui uxorem inculpam relinquit, et quum scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit in finem huiusmodi dari communionem.¹

¹ Placuit huic in finem non dandam esse communionem, BR. Placuit huic nec in finem dandam, T. 1. 2.

XI.

De catechumena si graviter ægrotaverit.

Intra quinquennii autem tempora catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit, non denegari.

XII.

De mulieribus quæ lenocinium fecerint.

Mulier vel parens vel quælibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in finem accipere communionem.

XIII.

De virginibus Deo sacratis si adulteraverint.

Virgines quæ se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint¹ virginitatis, atque eidem libidini inservierint non intelligentes quid admiserint,² placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quod si semel persuasæ aut infirmi corporis lapsu vitiatæ omni tempore³ vitæ suæ huiusmodi feminæ egerint pœnitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit eas in finem communionem accipere debere.

¹ Prodiderint, N.

² Amiserint.

³ Quod si semetipsas pœnituerint, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, et toto tempore, etc.

XIV.

De virginibus secularibus si mœchaverint.

Virgines quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverint duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine pœnitentia reconciliari debent; vel si alios cognoverint viros, eo quod mœchatae sunt, placuit per quinquennii tempora acta legitima pœnitentia admitti eas ad communionem oportere.

XV.

De coniugio eorum qui ex gentilitate veniunt.

Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines christianæ, ne ætas in flore tumens in adulterium animæ resolvatur.

XVI.

De puellis fidelibus ne infidelibus coniungantur.

Hæretici si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas; sed neque Iudæis neque hæreticis dare¹ placuit, eo quod nulla possit esse societas fidei cum infidele: si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

¹ Dari, N.

XVII.

De his qui filias suas sacerdotibus gentilium coniungunt.

Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem.

XVIII.

De sacerdotibus et ministris si mœchaverint.

Episcopi, presbyteres et diacones si in ministerio positi detecti fuerint quod sint mœchati, placuit propter scandalum et propter profanum crimen nec in finem eos communionem accipere debere.

XIX.

De clericis negotia et nundinas sectantibus.

Episcopi, presbyteres et diacones de locis suis negotiandi causa non discedant; *nec circumeuntes provincias quæstuosas nundinas sectentur*:¹ sane ad victum sibi conquirendum aut filium aut libertum aut mercenarium aut amicum aut *quemlibet*² mittant; et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

¹ *Ne circumeuntes provincias, quæstuosas nundinas sectantes in periculo incurrant, U.*

² *Quemlibet fidelem, U.*

XX.

De clericis et laicis usurariis.

Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari et abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, et promiserit correptus iam se cessaturum nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui: si vero in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia esse prociendum.

y

XXI.

De his qui tardius ad ecclesiam accedunt.

Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, paucio tempore abstinenceatur, ut correptus esse videatur.

XXII.

De catholicis in hæresem transeuntibus, si revertantur.

Si quis de catholica ecclesia ad hæresem transitum fecerit rursusque recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam eo quod cognoverit peccatum suum; qui etiam decem annis agat pœnitentiam, cui post decem annos præstari communio debet; si vero infantes fuerint transducti, quod non suo vitio peccaverint incunctanter recipi *debent*.¹

¹ *Debebunt, BR.*

XXIII.

De tempore ieiuniorum.

Ieiunii *superpositiones*¹ per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Iulii et Augusti propter quorumdam infirmitatem.

¹ *Superimpositiones, Æ. T. 2.*

XXIV.

De his qui in peregre baptizantur, ut ad clerum non veniant.

Omnes qui in peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

XXV.

De epistolis communicatoris confessorum.

Omnis qui attulerit *litteras confessorias*¹ sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria *passim*² concutiant simplices, communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

¹ *V. l. litteras confessionis.*

² *V. l. partim.*

XXVI.

Ut omni sabbato ieiunetur.

Errorem placuit corrigi ut omni sabbati die *superpositiones* celebremus.

XXVII.

De clericis, ut extraneas feminas in domo non habeant.

Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat: extraneam nequaquam habere placuit.

y 2

XXVIII.

De oblationibus eorum qui non communicant.

Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, *munus*¹ accipere non debere.

¹ *Munera, Æ. BR. T. 1. 2. G.*

XXIX.

De energumenis qualiter habeantur in ecclesia.

Energumenus qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neque ab altare cum oblatione esse recitandum, nec permittendum ut sua manu in ecclesia ministret.

XXX.

De his qui post lavacrum mœchati sunt ne subdiacones fiant.

Subdiacones eos ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerint mœchati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt in præteritum ordinati, amoveantur.

XXXI.

De adolescentibus qui post lavacrum mœchati sunt.

Adolescentes qui post fidem lavacri salutaris fuerint mœchati, quum duxerint uxores, acta legitima pœnitentia placuit ad communionem eos admitti.

XXXII.

De excommunicatis¹ presbyteris, ut in necessitate communionem dent.

Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud episcopum: cogente tamen infirmitate necesse est presbyterem communionem præstare debere, et diaconum si ei iusserit sacerdos.²

¹ *De presbyteris, ut excommunicatis*, Hefele, vol. i. p. 168. *De presbyteris exc. ut, sive de presbyteris ut in*, N.

² Aliter:—Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit, agere pœnitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum, agat, cogente tamen infirmitate. Non est presbyterorum aut diaconorum, communionem talibus præstare debere, nisi eis iusserit episcopus.

XXXIII.

De episcopis et ministris, ut ab uxoribus abstineant.

Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis, et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

XXXIV.

Ne cerei in cœmeteriis incendantur.

Cereos *per diem*¹ placuit in cœmeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint arceantur ab ecclesiæ communionem.

¹ *Perinde*, Gonzalez Tellez.

XXXV.

Ne feminæ in cœmeteriis pervigilent.

Placuit prohiberi ne feminæ in cœmeterio pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis latenter scelera committunt.

XXXVI.

Ne picturæ in ecclesia fiant.

Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus *depingatur*.²

¹ *Nec*, Æ. BR. E. 3. T. 1. 2.

² *Defingatur*, sive *diffingatur*, N.

XXXVII.

De energumenis non baptizatis.

Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si fideles fuerint, dandam esse communionem. [Prohibendum etiam ne lucernas hi publice accendant; si facere contra interdictum voluerint, abstineantur a communionem.]

XXXVIII.

Ut in necessitate et fideles baptizent.

Loco peregre navigantes, aut si ecclesia proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit.

XXXIX.

De gentilibus si in discrimine baptizari expetunt.

Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi et fieri Christianos.

XL.

Ne id quod idolothytum est fideles accipiant.

Prohiberi placuit, ut quum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit accepto non ferant: si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communionem esse arceandos.

XLI.

Ut prohibeant domini idola colere servis suis.

Admoneri placuit fideles, ut in quantum possunt prohibeant ne idola in domibus suis habeant: si vero vim metuunt servorum vel se ipsos puros conservent, si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

XLII.

De his qui ad fidem veniunt, quando baptizentur.

Eos qui ad primam fidem credulitatis¹ accedunt, si bonæ fuerint conversationis, intra biennium temporum placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio velocius *subvenire*² periclitanti vel gratiam postulanti.

¹ *Fidei credulitatem*, N.

² *Subveniri*, N.

XLIII.

De celebratione Pentecostes.

Pravam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti *diem Pentecostes celebremus, ne si quis non fecerit*¹ novam hæresem induxisse notetur.

¹ *Diem Pentecostes post Pascha celebremus, non quadragesimam nisi quinquagesimam : qui non fecerit, T. 1.*

XLIV.

De meretricibus paganis si convertantur.

Meretrix quæ *aliquando*¹ fuerit et postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

¹ *Pagana aliquando, U.*

XLV.

De catechumenis qui ecclesiam non frequentant.

Qui aliquando fuerit catechumenus et per infinita tempora numquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero *quisque*¹ cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod *veterem hominem dereliquisse*² videatur.

¹ *Quis, N.*

² *In vetere homine dereliquisse, N. In veterem hominem deliquisse, Æ. T. 1. 2. U.*

XLVI.

De fidelibus si apostaverint quamdiu pæniteant.

Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idolator, post decem annos placuit communionem accipere.

XLVII.

De eo qui uxorem habens sæpius mœchatur.

Si quis fidelis habens uxorem non semel sed sæpe fuerit mœchatus, in fine mortis est conveniendus : quod si se promiserit cessaturum, detur ei communicatio : si resuscitatus rursus fuerit mœchatus, placuit ulterius non *ludere*¹ eum de communione *pacis*.²

¹ *V. l. edere. Cf. Aubespine, p. 78.*

² *V. l. panis.*

XLVIII.

De baptizatis ut nihil accipiat clericus.

Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concha non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur : neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus *vel*¹ clericis.

¹ *Sed, T. 1.*

XLIX.

De frugibus fidelium ne a Iudæis benedicantur.

Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos a Deo percipiunt cum gratiarum actione, a Iudæis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem : si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abiciatur.

L.

De Christianis qui cum Iudæis vescuntur.

Si vero quis clericus vel fidelis cum Iudæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstinere ut debeat emendari.

LI.

De hæreticis, ut ad clericum non promovantur.

Ex omni hærese fidelis si venerit, minime est ad clericum promovendus : vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur.

LII.

De his qui in ecclesia libellos famosos ponunt.

Hi qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere anathematizentur.

LIII.

De episcopis qui excommunicato alieno communicant.

Placuit cunctis, ut ab eo episcopo *quis*¹ recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo quis fuerit ; quod si alius episcopus præsumpserit eum admitti, illo adhuc minime *faciente*² vel consentiente a quo fuerit communione privatus, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo præstaturum.

¹ *Quisque, N.*

² *V. l. sciente.*

LIV.

De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt.

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur; si tamen idem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, erunt excusati parentes: si in eisdem fuerit vitium et polluerint se, superior sententia servetur.

LV.

De sacerdotibus gentium qui iam non sacrificant.

Sacerdotes qui tantum coronas portant nec sacrificant nec de suis sumptibus aliquid ad idola præstant, placuit post biennium accipere communionem.

LVI.

De magistratibus et duumviris.

*Magistratus*¹ vero uno anno quo agit duumviratum, prohibendum placet² ut se ab ecclesia cohibeat.

¹ *Magistratum*, Hefele, vol. i. p. 181.

² *Placuit*, T. 1. 2.

LVII.

De his qui vestimenta ad ornandam pompam dederunt.

Matronæ vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam seculariter pompam non dent; et si fecerint, triennio abstineantur.

LVIII.

De his qui communicatorias litteras portant, ut de fide interrogentur.

Placuit ubique et maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est episcopatus,¹ ut interrogentur hi qui communicatorias litteras tradunt, an omnia recte habeant² suo testimonio comprobata.

¹ *Primæ cathedræ constitutus est episcopus*, o conj.

² *Se habeant*, Hefele, vol. i. p. 181.

LIX.

De fidelibus, ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant.

Prohibendum ne quis christianus, ut gentilis, ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et¹ videat; quod si fecerit, pari crimine teneatur: si fuerit fidelis,² post decem annos acta pœnitentia recipiatur.

¹ *Aut*, N.

² *Quodsi fecerit, pari crimine teneatur ac si fuerit fidelis et post*, N.

LX.

De his qui destruentes idola occiduntur.

Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quatenus¹ in evangelio scriptum non est neque inveniatur sub² apostolis umquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

¹ *Quatenus quia*, G.

² V. l. *ab*.

LXI.

De his qui duabus sororibus copulantur.

Si quis post obitum uxoris suæ sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communionem placuit abstinere, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

LXII.

De aurigis et pantomimis si convertantur.

Si auriga¹ aut pantomimus credere voluerit, placuit ut prius artibus² suis renuntiet et tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius ad ea non revertantur: qui si facere contra interdictum tentaverint, proiciantur ab ecclesia.

¹ V. l. *augur*.

² V. l. *actibus*.

LXIII.

De uxoribus quæ filios ex adulterio necant.

Si qua per adulterium absente marito suo conceperit, idque post facinus occiderit, placuit nec in finem dandam esse communionem eo quod geminaverit scelus.

LXIV.

De feminis quæ usque ad mortem cum alienis viris adulterant.

Si qua usque in finem mortis suæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit nec in finem dandam ei esse communionem: si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem acta legitima pœnitentia.

LXV.

De adulteris uxoribus clericorum.

Si cuius clerici uxor fuerit mœchata et scierit eam maritus suus mœchari et non eam statim proiecerit, nec in finem accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonæ conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.

LXVI.

De his qui privignas suas ducunt.

Si quis *privignam*¹ suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem.

¹ *Antenatam privignam*, T. 1.

LXVII.

De coniugio catechumenæ feminae.

Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut *comatos* aut *viros cinerarios*¹ habeant: quæcumque hoc fecerint, a communionem arceantur.

¹ *Aut comatos aut viros cinerarios*, M. Æ. BR. T. 1. U. *Cenorios*, A. E. 3. *Generarios*, T. 2. V. II. *comicos, scenicos*.

LXVIII.

De catechumena adultera quæ filium necat.

Catechumena si per adulterium conceperit et præfocaverit, placuit eam in fine baptizari.

LXIX.

De viris coniugatis postea in adulterium lapsis.

Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennium agere debere pœnitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dari communionem: hoc et circa feminas observandum.

LXX.

De feminis quæ consciis maritis adulterant.

Si cum conscientia mariti uxor fuerit mœchata, placuit nec in finem dandam ei¹ esse communionem: si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam quam sciret adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit.

¹ *Eis*, BR. U. G. *Ei*, M.

LXXI.

De stupratoribus puerorum.

Stupratoribus puerorum nec in finem dandam esse communionem.

LXXII.

De viduis mœchis si eundem postea maritum duxerint.

Si qua vidua fuerit mœchata et eundem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima pœnitentia placuit eam communioni reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in finem accipiat communionem; vel si fuerit ille fidelis quem accepit, communionem non accipiet, nisi post decem annos acta legitima pœnitentia, vel si infirmitas coegerit velocius dari communionem.

LXXIII.

De delatoribus.

Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem; si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem: si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittetur ad baptismum.

LXXIV.

De falsis testibus.

Falsus testis prout est crimen abstinebitur: si tamen non fuerit mortale quod obiecit *et probaverit*, quod non¹ tacuerit, biennii tempore abstinebitur; si autem non probaverit *convento clero*, placuit² per quinquennium abstineri.

¹ *Et probaverit quod diu tacuerit*. Cf. Gams, vol. ii. p. 133.

² *Conventui clericorum placuit*, Nickes, Zeitschrift für Katholische Theologie, Wien, 1856, p. 38.

LXXV.

De his qui sacerdotes vel ministros accusant nec probant.

Si quis autem episcopum vel presbyterum vel diaconum falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec in finem dandam ei esse communionem.

LXXVI.

De diaconibus si ante honorem peccasse probantur.

Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.

LXXVII.

De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.

Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debet: quod si ante de sæculo recesserint, sub fide qua quis credidit poterit esse iustus.

LXXVIII.

De fidelibus coniugatis si cum Iudæa vel gentili mœchatae fuerint.

Si quis fidelis habens uxorem cum Iudæa vel gentili fuerit mœchatus, a communionem arceatur: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta legitima pœnitentia poterit dominicæ sociari communioni.

LXXIX.

De his qui tabulam ludunt.

Si quis fidelis aleam, id est tabulam, luserit nummis, placuit eum abstineri; et si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.

LXXX.

De libertis.

Prohibendum ut liberti, quorum patroni in sæculo fuerint, ad clerum non promoveantur.

LXXXI.

De feminarum epistolis.

Ne feminæ suo potius absque maritorum nominibus laicis scribere audeant, quæ¹ fideles sunt, vel litteras alicuius pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

¹ V. l. qui.